

potestas Aquis de iustitia tantum in suo foro cognoscat, & utrique civitatum liceat eligere potestatem, vel consulum, consulem, qui regat suam civitatem, dummodo non eligat potestatem, vel consulem, consulum, sive rectorem de aliquo loco, qui sit inimicus, vel contrarius Alexandrinis, vel Aquensibus, & neutra civitatum salarium, sive pretium potestati, vel consuli alterius civitatis solvere, vel fodrum dare alii teneatur. Item qui fuerit de consilio Alexandriae sit de consilio Aquis. Similiter 10 qui fuerit Aquis sit de consilio Alexandriae, & ubicumque sit in alterutra civitatum, cum audierit signum con lli, vel interfuerit requisitus, ire ad consilium teneatur, & quod ibi dixerit, vel audierit tenere secretam, si ei injunctum fuerit, aut ei secretum suadebitur obtinendum. Item teneantur Aquenses adjuvare, salvare, defendere, & manutene singulariter, & universaliter in personis, & rebus homines Alexandriae, & ejus districtus, & jurisdictionis bona fide, & sine fraude ubicumque ad suum 20 posse. Eodem modo Alexandrini teneantur versus Aquis. Item Aquenses teneantur facere novam guerram, & pacem, & exercitum, & cavalcata pro communi Alexandriae de guerris specialiter Alexandrinis, & suorum civium contra omnem personam, & omnes personas, & civitates, & loca cui, vel quibus civitas Alexandriae guerram faceret, vel cum quibus guerram haberet secundum voluntatem, & praeceptum potestatis, vel consulum Alexandriae pro tempore existentium, & totius consilii Alexandrini, 30 vel majoris partis congregati per campanam infra quindecim dies postquam a praedictis consulibus, sive potestate Alexandriae pro tempore existente voluntate totius consilii Alexandrini, vel majoris partis per se, vel per suum nuncium eis dictum fuerit, vel mandatum, nec de ea guerra facient pacem, seu treguam, vel guerram recregutam, vel possam in fraude sine licentia totius consilii Alexandrini, vel majoris partis congregati per campanam. Alexandrini vero teneantur, si ab aliqua persona, vel 40 personis, vel civitate, sive loco, aut partibus civitatis sive inciperetur guerra, vel fieret Aquensibus aut damnum eis illatum fuerit: & tunc Alexandrini infra 20. dies, quo guerra incepta, vel damnum illatum fuerit Aquensibus, facere damnum restitui Aquensibus, vel eis inde iustitiam fieri, vel ad voluntatem Aquensium concordari; ita quod faciendo fieri iustitiam his intra praedictos 20. dies debeat contestari, & post litem contestatam infra 40. dies causa debeat definiiri. Quod si Alexandrini nec possint 50 facere damnum restitui. . . . Tunc possint infra 20. dies proximos post (1) latam sententiam, nisi Aquensibus satisfactum fuerit, facere vivam guerram ei personae, vel personis, & civitati, & loco, & civitatibus, sive locis, qui guerram Aquensibus inceperunt, & damnum, sive injuriam intulissent, & quod de ea non facient pacem, vel treguam, seu guerram recregutam, vel possam in fraudem sine voluntate totius consilii Aquis, vel majoris partis congregati per campanam. Item si Aquensibus guerra 60 oriretur, sive fieret pro guerris, quas cives Alexandrini facerent, sive pro guerris, quas voluntate, & consilio utriusque civitatis Alexandriae scilicet

& Aquensis reciperent, vel facerent, teneantur Alexandrini quod non facerent pacem, vel treguam, vel guerram, recregutam, vel possam in fraudem sine voluntate totius consilii Aquis, vel majoris partis congregati per campanam. Item si Aquenses communiter, vel divisim de aliquo, vel aliquibus iustitiam, seu rationem exigerent, & per homines Alexandriae consequi non possent tunc teneantur Alexandrini juvare eos exinde tamquam cives Alexandrinos in civitate Alexandriae habitantes de suo jure. Item si castrum, vel villa, vel aliquis quaestus exponeretur venalis civitati Alexandriae, vel civitati Aquis a Cassinis supra in Episcopatu Aquensi, una teneatur adjuvare (2) alteram in eo secundum quod voluerit solvere de pretio usque in dimidium. Si vero civitas Alexandrina, vel civitas Aquis alio modo a Cassinio supra in Episcopatu Aquensi acquireret castrum, vel villam deinceps, vel aliquam acquisitionem faceret, medietas alterius sit. Item si alterutra dictarum civitatum pro communi ceperit in aliquo tempore pecuniam, vel exactionem aliquam, sive aliquod servitium in Episcopatu, vel in locis, vel in terris propriis Aquensis Ecclesiae, sive in locis, quae tenet, & possidet, aut tenere, seu possidere videtur Aquensis Episcopus medietas sit alterius. Item cum Alexandrini, & Aquenses ibunt in exercitum medietas hominum Episcopatus bona fide, & convenienter, secundum quod utraque civitas inde se concordaverit, vadat cum Alexandrinis, & alia medietas insimul cum Aquensibus. Item teneantur Aquenses absolvere, & dimittere bona fide, & sine fraude omni, fortia, molestia, & seductione cessante homines de Cavatorio, & omnes homines de Vidixone, qui in dictis locis erunt soliti habitare eo tempore, quo recesserunt communiter ab ipsis locis cum omnibus eorum rationibus & possessionibus, ut ad illa loca revertantur habitare statuentes (3) ibi salvo jure cujuslibet pro diviso civium Aquensium singulariter, & illos facient ad illa reverti habitare (4) usque ad proximam octavam S. Johannis junii, nisi absolute potestatis Alexandriae, & totius consilii Alexandrini, vel majoris partis congregati per campanam obtenta, neque eos homines priusquam ad illa loca reverti fecerint habitare, de caetero in cives recipient, nec eos per Sacramentum, vel alio modo Aquis habitare consentient, nec constringent, tamen si quis homo de praedictis locis vellet pacifice dimittere, & relinquere terras, & possessiones, quas haberet in ipsis locis, liceat ei habitare Aquis, vel quo voluerit & Aquensibus liceat eum recipere in hunc modum, ita quod tamen possint terras, & possessiones ejus de Vidixone Cavatorio accipere, & possidere si voluerint absque molestiis, & ejus contradictione. Alexandrini vero tenentur, quod homines de Vidixone, & Cavatorio occasione guerrarum praeteritarum, sive offensionum, & praecipue qui aveniant habitare Aquis, aliquatenus non offendant, neque talionem, seu malum guiderdonem eis ob id retribuent. Item Alexandrini teneantur facere, ita quod Domini Murbelli restaurent hominibus Vidixoni totum damnum, quod eis intulerunt priusquam Alexandrini, & Aquenses in Albensibus compromi-